



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 1. Nomen Corsicæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

terram satis negligenter colunt. Loquuntur linguâ ex variis dialectis conflatâ, scilicet Sardoâ, Tuscâ, Hispanâ & Africanâ. Qui degunt in vrbibus fere loquuntur Aragonicè: qui in agris linguâ patriâ inquinatissimâ.

N V M. 5. *Politia recens Sardorum.*

HANC Imperio Ro. collabente Saraceni, ex Africâ occuparunt, vnde eiekti sunt armis communibus Genuensium, & Pisanorum, à quibus in duas portiones diuisa est. Aragonum Regi à Summo Pontifice concessa est, inde transit ad Castellanos duobus regnis in vnum corpus coalescentibus.

Administratur à Prorege, cuius sedes Calaris: hic Assessores habet suos qui consilium conficiunt, vulgò *Audientiam Regalem*. Duo quoque Prætores, seu Gubernatores in duplici parte Insulæ: vrbs tamen Calaris instar Reip. administratur per quinque Consules, *Consègles* vocant, & priuilegiis suis & immunitatibus ad hoc vsque tempus vtitur. Hic milites Hispani octingenti in vrbibus, & turribus degunt, ex indigenis decem hominum millia, quorum Duces accipiunt stipendium, milites gratis militare perhibentur in patriæ tutelam. Hæc Insula reddit quotannis trecenta millia Ducatorum, quæ tamen omnia in eius tutelam impenduntur; & anno 1560. Hispani coacti sunt mittere 7. armatorum millia, ne Turcæ in hanc Insulam irrumperent, & inde Mediterraneo mari dominarentur.

§. 2. *Historica recentis Corsicæ.*

N V M. 1. *Nomen Corsicæ.*

NOMEN antiquum nihil immutatum est: nobis Gallis *la Corse*, quod & paulò antiquiores leuiter inflectunt *la Corsègue*, indigenæ vbiq; dicuntur *les Corsès*.

N V M. 2. *Quantitas Corsicæ.*

Hic *longitudo Geometrica*, est *latitudo Geographica*, vt & in Sardinia, & ita se habet dimensio huius Insulæ ex variis,

Ex-